



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis  
Expositio**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

De Extrema Vnctione. Liber Sextus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

at non potest fieri nomine Defuncti, id quod  
Defunctus nequaquam mandavit.)

Dices. Quid faciet igitur hæres, si forte  
cum hæreditate ipsi adveniat aliqua De-  
functi Bona, qua ipsi constat esse aliena, Do-  
minumque iuueniri non posse? Respondeo.  
Quærat ipse nomine proprio Bullas, vel  
Compositionem, ut dixi §. 4.nu.3.

7. Inquieres Secundò. Circa conditionem  
tertiam. Quæ fuerunt ablata ex confidentia  
hujus Bullæ, & Dominus ignoratur, si non  
sunt capacia compositionis, cuinam restitu-  
debet.

Respondeo, Pauperibus, vel locis piis, inter  
quos pauperes rectè nominentur. Animæ  
Purgatorii, & quæ maximè indigent Missis,  
dif. 3. c. 4. & suffragiis; ut etiam ipsa Monasteria, & ipsi  
nu. 52. item b Religiosi in particulari. Illa enim sunt  
b Idem dif. loca pia, hi sunt, verè Pauperes voto pauperi-  
35. c. 10. tatis adstricti, si illud ritè servent. Pauperibus,  
nu. 66.

inqnam, vel locis piis deberent ex se ea resti-  
tui, ut disposuit Alexander Pontifex & alibi c Lib. 1.  
à me adductus.

8. Dico, ex se, nam quia in hac Bulla dif- 4.c.13.  
ponit Pontifex, ut ablata ex dicta confidentia nu. 29.  
applicentur in totum ad hujus belli subsidi-  
um, ideo ita debere sub peccato mortali ap-  
plicari, & non dari pauperibus, vel piis locis  
docet d Trullach, ubi tamen viget consue- d Trulla  
tudo sic applicandi, ubi enim ex consuetudo I.C.M.U.,  
non esset, abrogata judicareretur hæc dispo-  
sitione. Verum tantum rigorem peccati mortalis  
negat Bardi, quia in Bulla non est verbum in-  
ducens obligationem sub mortali, & ex alia  
parte mutare unum opus pium in aliud item  
pium, id est, quod deberet dari expeditioni  
huic contra Infideles, dare Pauperibus, non  
est (nisi aliud addatur) materia gravis saltem,  
ut plurimum. Atque hæc de Bulla compo-  
sitionis breviter scripsisse, sufficiat.

Finis Tractatus Bulla Cruciate.

Laus Deo, Beatissima Deiparæ, ac Beato Aloysio, Patrono meo, cuius hodie  
21. Juui diem Festum colimus.

## LIBER SEXTVS DE SACRAMENTO EXTREMÆ-VNCTIONIS.

**S**ACRAMENTUM Extremæ-Untionis, est Vnctio exterior facta  
cum oleo benedicto in sensibus corporis infirmi à Presbytero, sub prescripta for-  
ma verborum, ad auferendas Reliquias peccatorum, & corroborandum infir-  
mum contra omnia mala, quæ solent tempore mortuū imminere. De illa ei-  
go latè Theologi tractent, nos ea, quæ sunt Praxi scitu necessaria, sic brevi-  
ter expedimus.

LIBRI

## LIBRI SEXTI

De Sacramento Extremæ- Unctionis.

## CAPUT I.

De Materia, &amp; Forma, Extremæ- Unctionis.

§. I.

## Materia Remota.

1. **E**ius remota Materia est Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum. Si vero scire cupis. An Oleum non benedictum sit apta materia ad valorem hujus Sacramenti, (nam certè est graviter illícita) & an Summi Pontifex possit concedere hanc benedictionem simplici Sacerdoti. Legi Emanuelē a Sā Genuinū, qui concedit prius ex his : Lege item cundem expurgatum, b qui utrumque concedere videatur. Sed, & legi Castropalaum, c qui cum communī utrumque probabilius negat. Hoc oleum jam benedictum potest in vase stanneo conservari, ut habet a Rituale Romanum: verum Religiosiores Parochi usurpant communiter argenteum.

OLEUM NON BENEDICTUM,  
quatenus addi potest benedicto.

2. In eodem Rituale Romano, sic habetur. Oleum benedictum, si forte infrā annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate superfluo, reparari potest. Hæc Rituale. Quod dum dicit(modico) insinuat, totum Oleum non benedictum, quod addi benedicto, sive simul, sive successivè potest, non posse excedere quantitatem olei benedicti, ināmō debere esse in parva quantitate, ut contra nonnullos latè probat Quintanad. Ratio autem hujus doctrinæ est, quia modicum illud non benedictum, quod additur Oleo benedicto, non extrahit abesse Olei benedicti.

3. Eadem autem ratio probat, Oleum Olivarum, cui additur aliquod aliud genus Olei Amygdalarum, vel simile esse aptam materiæ Tamburinus de Sacramentis.

am, quæ benedicatur in Oleum infirmorum; quia per parvam illam quantitatem non extrahitur a suo esse, sicuti Vinum, si modica aqua immiscatur est apta materia consecrationis, &c. Ne igitur audias illos, qui nullam proslus mitionem Balsami in Oleo infirmorum admittunt.

4. Confirmatur primò, nostra doctrina ex f Sā ex Sa, f qui docet Oleum Rosaceum, vel Violaceum, si formam Olei amisit ob Violatum, vel purgatus Rosarum mitionem, non posse esse aptum ad Sacramentum hoc. Quasi dicat, si non amisit, aptum esse; at certè permédicam mitionem non amittit.

5. Confirmatur Secundò, quia Suar. g non g Suar. d. putat, esse sententiam improbabilem eorum, 40. de Sa. qui dicunt, olim Oleum Balsamo immixtum, cr. se. 1. cir. usui suis lead Unctionem infirmorum, cum ea finem arque pro Sacramento Confirmationis, arque Henr. lib. 3 pro Sacramento Extremæ- Unctionis bene- cap. 8. n. 2. dici ab Ecclesia fuerit consuetum. Profectò hujus conlectudinis non alia esse poterat ratio, nisi, quia modica solet esse illa mixtura Balsami, quæ propteræ Oleum in suo esse, seu substantia relinquit. Vides? Confutatio invalidè fieret ex solo Oleo Olivarum, ut suprà docui, quia pro illa requiritur Chrisma, id est, Oleum Balsamo mixtum: at Extremæ- Unctione fit validè in solo Oleo, sed, & validè in Oleo cum modico Balsamo, quia hoc in modicum non removet Oleum ab esse Olei.

## OLEUM INFIRMORUM VETUS.

6. Interrogabis, An licet ad administrandam Extremam- Unctionem, uti Oleo benedicto præcedentis anni?

7. Respondeo, Urgente necessitate, liceat: at ea non urgente, validam quidem fore administrationem: sed ita illícitam, ut periculum subdit peccandi mortaliter. Scio, Emanuelē h Sā Genuinū putare, adhiberi h Sā Genuinū posse Oleum non eodem anno benedictum, num. V. cui sententia Sa. expurgatus addit rationem: Extr. Vn. De solo enim (ait) Christiane comburendo num. 6. præceptum est C. fin. dist. 4. Consecr. Hæc ille: i Ibidem. cujus rationis vis ea esse mihi videtur. Non præcipitur comburi Oleum Extremæ- Unctionis antiquum, ergo poterit servari, ergo, ne sit otiosa, & frustanea conservatio, uti eo licite ad Sacramentum poterimus.

Gg

8. Huic

LIBER VI. DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

234. 8. Huic sententiae Emmanuelis fayet Leander <sup>a</sup> dicens, post longam consultationem cum multis Theologis, fuisse resolutum, usurpantem prædictum Oleum vetus non peccare mortaliter.

9. Verum Bonacina, Possevius, Zambranus apud eundem Leand. sustinent, esse peccatum, uti Oleo alterius anni, licet non ex-

plicent, peccatum mortalene sit, an veniale.

Et quidem Leander <sup>b</sup> loc. cit. ait, hos dicere,

esse peccatum mortale, sed Castrop. <sup>c</sup> ait, hos

non explicare, an hoc peccatum mortale sit.

Quinam ex his duobus Doctoribus verius re-

ferat, videat, qui oriosus est.

Denique Castropalaus loc. cirat, sic habet. Cum gravis sit materia; uti Oleo veteris anni, si præceptum adsit, culpam gravem constituere debet. Hæc ille, sed non explicat, an hujusmodi præceptum adsit.

Ex his vides cur ergo num. 7. dixi subesse periculum mortaliter peccandi, &c.

10. Sed, quando erit judicanda urgens necessitas, ita ut omne peccatum evitetur? Respondeo, quando timetur præpropera infirmi mors, ut item, quando de ea dubitatur, quia in dubio favendum est periclitanti: quod judicium, vel Medicus, vel prudens Vir dabit, & quidem benignè potius, quam rigorosè. In his ergo eventibus, si tempus non suppetat conquirendi novum, utere veteri sine scrupulo.

§. II.

Materia proxima.

1. Proximam materiam dant quinque sensuum unctiones ex prædicto Oleo benedicto. Non enim probo sententiam aliquorum, quos referunt (sed rejiciunt) Suarez,

<sup>d</sup> Suar. T. <sup>d</sup> & Bellarminus, et putantes sufficere unctio-

nes in partis corporis: sic enim non

40. sec. 2. verificaretur hujus Sacramenti forma, quæ,

nu. 8. ut videbimus, sensus ipsos exprimit signa-

e sellar. li. tñ.

<sup>d</sup> Ext. Vn. 2. Dixi (quinque sensuum) nempe Ocu-

lorum, Aurum, Narium, Oris, Manuum: in-

tellige, vel locorum his sensibus vicinorum,

si forte quis aliquo ex his careat. Quare na-

tatio renum, seu lumborum: & unctio pe-

dum, non sunt de necessitate Sacramenti; im-

mò in foeminis, illa in renibus, propter de-

centiam, semper omittenda est, & etiam in viris, quando difficulter moveri situ posunt, illa autem in pedibus, solum, ibi est exhibenda, ubi fuit consuetudo, ut utrumque cum aliis notat Castrop. <sup>f</sup>

3. Cùm autem dictum est (oculorum, au-<sup>f</sup> <sup>T. 4. del.</sup> rium, &c.) non ita intelligo, quasi sentiam ex necessitate Sacramenti injungendos esse utrosque Oculos, utrasque Aures, &c. satis enim est ad valorem: unum Oculum, unam Aurem, &c. injungi: unde in casu necessitatis, id est, periculi præpropera mortis, vel simili, unus ex singulis est inungendus. Dico, in casu necessitatis. Nam, quia gravis hæc res semper via est Ecclesiæ, erit mortale extra necessitatem utrosque sensus non inunge-

re.] 4. Quamvis autem Castropalaus <sup>g</sup> doce-

at, hoc Sacramentum nunquam esse incipi-

endum ministrari, si timeatur, non posse omnes quinque unctiones perfici, tamen hoc

ipse idem limitat pro casu necessitatis, adducitque Layman, aliosque. Nam quando nullum (inquit) Sacramentum ægrotus suscep-

it, timereturque decessus ante finitas quin-

que unctiones, posset (addo ego, & deberet)

sub conditione infirmus inungi in sensu magis obvio v. gr. in Capite, pronunciante Sa-

cerdote formam exprimentem quinque sen-

sus, sic. Per istam Sanctam Unctionem, <sup>g</sup> suam

piissimam misericordiam, indulget tibi Domi-

nus quidquid per auditum, odoratum, gustum, &

tactum deliqueristi. Neque hoc est contra Do-

ctrinam num. 1. allatam ex Bellarmino, nunc

enim cogos à necessitate providere infirmo, si

forte possim, &c.

5. Tandem moneo, unctionem singulo-

rum sensuum tantam requiri, quanta sufficit,

ut sit sensibilis, quamvis per unam guttulam,

seu stillulum fiat, quia solum requiritur, ut

verè possit dici sensus inunctus, ad quod quæ-

libet sensibilis certò sufficit.

§. III.

Forma Extreme-Untionis.

1. Forma hujus Sacramenti sunt verba deprecatoria, & invalida essent sive in-

dicativa, sive imperativa: (quidquid ali-

qui pauci contradicant) quia in Orationis

modum hoc Sacramentum instituit Chri-

stus

CAPUT PRIMUM, §. II. III. ET IV.

**¶**bus Dominus, ut habetur Iacobi s. orent super eum, &c. Ea autem est hujusmodi per singulos sensus.

**Ad Oculos.** Per istam Sanctam Unctionem †, & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Deus, quidquid per visum deliquisti. Amen.

**Ad Aures.** Per istam Sanctam Unctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Deus, quidquid per auditum deliquisti. Amen.

**Ad Nares.** Per istam Sanctam Unctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Deus, quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

**Ad Os, compresis labiis.** Per istam Sanctam Unctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Deus, quidquid per gustum, & locutionem deliquisti. Amen.

**Ad Manus.** Per istam Sanctam Unctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Deus, quidquid per tactum deliquisti. Amen.

**Ad Pedes.** Per istam Sanctam Unctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Deus, quidquid per gressum deliquisti. Amen.

**Ad Lumbos, seu Renes.** Per istam Sanctam Unctionem, † & suam piissimam misericordiam, indulget ubi Deus, quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

2. In predicta forma puto probabilius, <sup>2. Hurt. cū aliis de Extr. Vne. dīfer. 7.</sup> de necessitate, seu essentia Sacramenti, non esse illud (Sanctam,) nec illud (per suam piissimam misericordiam) multo minus illud. Amen. Nam certa certum sit, esse de essentia; & omnia, ut jacent (excipio illud, Amen) est de praecerto gravi, ut notat recte <sup>b Suarez. b</sup>

<sup>4. m. 3. p. d.</sup> Tanquam verius item puto, essentiale <sup>40. scđ. 3.</sup> esse, cuilibet unctioni, suam formam distincte repete, nec sufficere, quinque unctionibus celeriter peractis, unicam formam omnes sensus complectentem exprimere, in hunc modum. **Per istam Sanctam Unctionem,** † & suam piissimam misericordiam indulget tibi Deus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum deliquisti, solum igitur sub conditione id fieri poterit, quando timerit ocior mox, ut modo: §. 2. num. 4. significavi.

235

3. Invocatio explicita Tripartitis seu ejus expressa mentio, nec necessaria est, & nec con- c. Castrop. sueta.

Unctionem item expedire per modum Ext. Vnde. Crucis, † quamvis sit consuetum, tamen d. un p. 4. non est d., nec de necessitate Sacramenti n. s. nec de precepto gravi, unde, praeviso condit. Suar. t. templo, & scandalo, quod certe rarum 4. in 3. p. est, id omittere, peccatum mortale non d. 40. scđ. crit.

2. n. 5.

4. Si necessitas urgeat, ut si infirmus timetur deceplurus sine hoc Sacramento, adhiberi possunt plures Sacerdotes, quorum singuli suas unctiones peragant, verum singuli sub suis formis, nullo enim modo potest alter ungere, & alter formam proferre. Lege Suar. r. e

c. Suar. l.c.

5. Si Sacerdos non possit progredi ad perficiendum hoc Sacramentum, supplendi ab <sup>sec. 2. & 3.</sup> alio Sacerdote esse, quæ restabunt, recte cum Connick Divo Thoma, aliique moneret. S. f.

d. 19. d. 9.

fine Hurt.

de Extr.

Vnde. diff.

§. IV.

**Modus, seu Solemnitas administrandi**

**Extremam-Untionem.**

f. S. à Ext.

Untionq.

1. **P**roochus, vel ejus iussu Sacerdos super. 10. pelliceo, & stola indutus (secus for- re mortale, & porius, si uestes non sufficiant, omitti debere Extremæ-Untionis Colla- tionem, asserit Suarez, & sed nequaquam de- g. Suar. d. bere omitti, docet Quiaranadu. b Cum quo 4. 4. scđ. 2. sentio, quia in hoc Sacramento levis judican- n. 7. dus est defectus uestium, quare illæ cedere h. Quanta- solidæ decumbentis utilitati debent) Sacer- na. de Ex- dos in quam, sic indutus, atque associatus rr. Vnde. Clerico, potest uti Laico, potest nullum ad- sing. 5. n. 4. vocare, si in promptu is nequaquam sit, ut notat Layman i) ingreditur in locum ægro- i Laym. ti, eundemque, confiteri se sacramentali- lib. 5. tr. 8. ter volenti, libenter audit, cum preces an- c. 8. n. 3. tecendentes ad Sacram Unctionem devotè fundit, quas preces, non posse sub peccato mortali omitti, nisi urgente necessitate, putant Quiaranadu. & Bonacina. Addo libens, & nisi excusat parvitas materiæ, ut si ex illis modica pars omitteretur. Mox Psalmos Pœnitentiales, ac Litanias, quæ solùm sunt sub consilio, recitari genibus flexis ab affstantibus curat, dum ipse inter- rim infirmi sensus digito inungit ad modum

Gg 2

Crucis;

Crucis : quam autem Crucis efformationem non esse sub præcepto modo docuimus , peractaque qualibet Unctione , ipsi idem inuncta loca tergit gossipio , vel stupa , vel lana , vel simili , illa mutando ad singulas unctiones , quæ in vase mundo reponit , ad ea comburenda , combustionis cineres in Sacramum projecturus . Denique recitat Orationes consequentes ad Sacram Unctionem , sub eodem peccati mortali onere , (nisi necessitas excusat , vel parva materia) sicuti diximus de similibus .

**a Quinta-**  
**nad. de**  
**Extr. Vn.**  
**fin. s.n. 4.**

1. Hoc Sacramentum ministrare sine lumine , non esse peccatum , bonum est scire , ut recte notat Quintanad. a

2. Super sunt tres questiunculae . Prima , quoniam dito hæc unctiones sunt experientia ?

Secunda , Quæ pars manus ejus , qui non est Sacerdos , est inungenda , exterior ne , an interior , quam volam appellamus ? Ejus , inquam , qui non est Sacerdos , nam omnes sciunt rituale Romanum reformatum præscribere , ut Sacerdotes (quia jam fuerunt in voluntate Sacro Christo uncti) in exteriori manu inungantur , dum eis Extremæ-Untionis Sacramentum ministratur .

Tertia , Quid de investiture Ordinis Untionum ?

4. Respondeo , Si de valore Sacramenti loquamur , Primò , quocumque dito ejusmodi Sacra Unctio exhibetur ; Secundò , quæcumque pars manus inungatur ; Tertiò , à quocumque sensu , mutato Ordine , incipiatur , validum erit Sacramentum ; quia cum sic jam adsit unctio à Christo instituta , adest jam , quod est de substantia : neque enim credibile sit , Christum Dominum voluisse , valorem tanti Sacramenti à circumstantiis tam levibus dependere .

5. Si vero loquamur de licto usu , puto , non esse saltē mortale , quocumque dito exhibere unctionem , vel exteriori manu non Sacerdotis jungere , quia hæc duo levia sunt .

**b Castrop.**  
**de Extr.**  
**Vncl. p. 3.**  
**n. n. 11.**

6. At inverttere ordinem Untionum , ita ut prius ungantur aures , quam oculi , &c. esse grave peccatum . docet Castropalaus b his verbis : *Grave est peccatum , ut potè contra Ecclesiæ consuetudinem , ordinem inverttere (hoc est , si prius ad aures deinde in oculis , &c. Unctio fieret) ut ex communi docet Suarez .*

tom. 4. in 3. p. d. 4. sed. 2. fine . Emmanuel Sà V. Extrema- Unctio. n. 12. Bonacina alius relatis d. 7. de Sacramentis questi. unica p. 5. num. 20 .

7. Profecto animadverto , etiam doctissimos viros , labi interdum , in adducendis Authoribus , five ob Amaranthum , five ob Typographorum incuriam ; Legi locum Suarri à Castropalaus citatum , ubi , non , (grave) sed (aliquid) esse peccatum dicitur : At illud (aliquid) satis minus est , quam illud (grave) . Legi Emmanuelem Sà , tum Genuinum , tum expurgatum in Editione Romana , qui nec numero 12. citato à Castropalaus , nec in toto verbo Extrema-Unctio hujus rei meminit . Legi Bonacinam , qui loco ab eodem citato , solus docet ; Ordinem in unguendis quinque sensibus , non esse necessarium , necessitate Sacramenti , quia , mutato ordine , adhuc completa manet significatio , at , de necessitate præcepti , ne verbum quidem .

8. Ego , si me consulis , puto , non esse mortale ; Excede semper contemptum , & scandalum , quæ certè raro hic contingere possunt . Ratio est , quia , ut in simili dictum est saepius , hæc non est tanta variatio , ut mortalem culpam patere possit . Merito ergo dixit Suarez , esse aliquod peccatum , id est , veniale , & fortasse citatus Castropalaus non discedit ab hac sententia . Cum enim illud (grave) non raro à Doctoribus e usurpetur pro gravi in genere peccati venialis , possumus opinari , Doctissimum Castropalaum voluisse dumtaxat notare , peccatum hoc non fore ex peccatis venialibus levibus , sed in genere venialium , esse ex gravibus .

## C A P U T II.

### De subiecto hujus Sacramenti .

I. **S**, qui validè , & licetè potest Extremam-Untionem recipere , est Homo Viator baptizatus ; Usus rationis compos ; In gratia existens , seu putans in eadem existere ; Graviter infirmus , & denique : Qui in eodem periculo hoc idem Sacramen-

tum non suscepit . Illius-  
stremus fin-  
gula .

CARTA  
in delib.  
Extr.  
13. c. 6. 2.  
22. q. 2.  
4. de m.  
d. 2. 3. 2. 3.  
circumf.  
Idem Co  
fir. 10. 3.  
2. de v.  
p. 17. 3. 3.  
fine .

§. I.

## §. I.

Viator.

**N**on ergo mortuus hujus est Sacramen-  
ti capax. Ei autem, de quo dubitatur,  
an expiraverit, non nisi sub conditione dan-  
dum est. Immò supra adixi, ab eo conferen-  
do abstinentem esse, si prævideatur infir-  
mus esse moriturus, antequam quinque uni-  
tiones persicantur, nec sit casus necessitatis,  
juxta ibidem dicta.

## §. II.

Baptizatus.

**C**athecumenus, & multò magis infide-  
lis Extremæ-Uncionis capax non est,  
quia Baptismus re ipsa suscepimus, qui est Sa-  
cramentorum Ianua, necessariò precedere ad  
illam debet. Si aurem accidat, aliquem gravi-  
ter infirmum baptizati in fine vitæ, statim à  
Baptismo, extremè ungì poterit.

4. Quamvis autem ex congruentia soleat  
dicto baptizato in fine vita portigī Viaticum  
prius, quam ei conferatur Extrema-Uncio,  
tamen cum hæc sint Sacraenta, quorum u-  
nus ab alio non dependet, necesse non est, sub b.  
Ext. Vncl. tanto rigore ejusmodi ordinem custodire.  
d. 44. f. 1.

## §. III.

Vtus rationis Compos.

**N**on quidem, quod auctu ratione uta-  
tur, sed quod usum rationis habuerit,  
Unde licet Infantes, perperuoque amentes  
invalidè inungantur; Pueri tamen septennes,  
cum supponantur usum rationis obtinuisse,  
validè, & hieè unguntur. Non est autem ne-  
cessitas, ut mortaliter peccare, potuerint, cum sit  
satis, si potuerint, venialiter. Quare non sunt  
laudandi Episcopi, qui requirunt, puerum  
excessisse pubertatem. Et quamvis, juxta ali-  
quorum probabile sententiam, his septem  
annorum Pueros non liceat, dare Viaticum,  
pro quo suscipiendo expectandus est deci-  
mus Circiter annus; tamen licebit, debebit  
que dari Extrema-Uncio, quia hæc sunt Sa-  
craenta disparata, & Extrema-Uncio non:

requirit tantam discretionem, quantum illo-  
rum opinio requirit ad sumendam Euchari-  
stiam. Dixi (juxta aliquorum sententiam) nam  
ego sustinui e posse, & debere, etiam his, dari c. In opus-  
cul. meth.

2. An autem satis sit ad validam, licitamq; com. c. 5.  
unctionem, solum posse peccare, saltem ve- §. 8. n. 14.  
nialiter, unde licitum sit, sive pueris septenni-  
bus, sive aliis illam conferre immediatè post  
Baptismum, quando mortaliter certum est,  
nondum eos, ne venialiter quidem peccasse,  
duplex est sententia. Affirmat Suarez, d' alii - d' Suar. lo.  
que innomeri, quia solum requirunt poten- c. 42.  
tiam peccandi. Negat Io. Sanchez e cum aliis, num. 8.  
quia sic non verificaretur forma hujus Sacra- c. Apud  
menti, quæ dicit, Indulgeat tibi Deus quid- Leand. dif.  
quid peccasti, &c. 3. de Extr.

3. Utraque sententia, saltem propter au- Vncl. q. 5.  
thoritatem Doctorum, est probabilis: unde Io. Sanc. in  
fit, ut probabile sit, & probabile item non sit, selec. d. 27  
Beatissime Virgini ministratum fuisse hoc n. 18. q.  
Sacramentum. 19. quem

Si dubitetur, an puer usu rationis polleat sequitur  
poterit, & debebit ecclesiastice inungi, sed Leand. i.c.  
sub conditione. Ita Joan. Sanchez f. Addens, cum aliis.  
negotia, in quibus nihil amittendum time- f. 10. Sanc.  
tur, sed potius lucrum speratur, audacter esse in sel. d. 17  
tractanda. nu. 17. Le-

Accedamus nunc ad Phreneticos. Qui post andr. de  
usum rationis in Phrenesim, vel in amen- Ext. Vncl.  
tiam incidentur, hoc Sacramento frui posse, 3. qu. 3.  
certum est. Nec enim est opus, ut expresse in- Diana 3.  
firmus illud, dum sanx esset mentis, perierit; p. tr. 4. re.  
cum sufficiat, vel aliquod dedisse petitionis 169.  
signum, vel solum esse Fidelem, de quo  
prælumitur velle, saltem in mortis articulo  
ritu Christiano decidere, & de quo non con-  
stet, esse in mortali, modò mox explicando  
§. seq. n. 2.

Cavendum tamen semper est, ne, quoad cul. meth.  
Phreneticos, sit periculum irreverentiae, eo comm. c. 1.  
enim existente, non erunt ungendi. 9. 1. juncto  
lib. 1. de

## §. IV.

In gratia existens, seu putans, Ec.

g. In opus-

cul. meth.

comm. c. 1.

9. 1. juncto

lib. 1. de

Sacr. in

gene. Sup.

c. 3. §. 2. n.

4. &amp; vide-

1. **C**um hoc Sacramentum sit Vivorum, ut ri potest.  
Calibi explicuimus, g. requirit statum Coninc.  
gratiae in suscipiente. Quod si quis bona fide d. 19. de  
putans se esse in eo statu, tamen re vera sit in Ext. Vncl.  
mortali, hoc peculiare habet hoc Sacramen- à nu. 19..

Gg 3.

tum,

tum, ut in omnium sententia cum attritione illud mortale remittat; nam propterea dicitur, auferre Reliquias peccatorum, id quod pluribus explicant Theologi.

2. Huc ergo pertinent peccatores, de qui a Coninck bus notat Primò, Coninck. si post peccatum d. 19. de commissū, v.g. post duellū, tempus superfluit, Sacr. dub. quo vulneratus pœnitere portuit, præsumen- 6.n.19.cit. dum esse, saltem per attritionem pœnituisse, tans Suar. nisi contrarium claram constet, quod certè cla- d. 42. de rē constare, difficile est. Quare, si sit à sensibus Extrem. abalienatus, unde non possit, nec conteri, nec Vnct. jee. 1. Sacramentalē Abolutionem cum attritione suscipere, erit regulariter per Extremam- Unctionem reficiendus, quia regulariter præsumuntur attritus, & non potest de statu actuali b In opusculi peccati constare. Vide omnino, quæ dixi b cul. meth. in opusc. Methodi Communionis.

comm. c. 5. 3. Notat Secundò Sà, c suscipientem hoc §. 9. Sacramentum, non debere esse excommunicat. Sà Verb. catum, nam propterea, si sit, vel si timeatur Extrem. esse ejusmodi, erit, prius, sive absolute, sive Vnct. n. 1. sub conditione, si indiget, absolventus; pro co- enim articulo quilibet Sacerdos hanc absolu- d. Sup. de vendi potestate habet, eo modò, & cum iis o- neribus, quæ supradicti pluribus explicimus.

Sacr. Poen. 4. Dices. Si suscepturus hoc Sacramentum tr. de cas. debet existere in gratia, ut dictum est num. 1. refe. cap. quo modo ad administrandum illud infirmo 12. §. 4. alienato à sensibus, de quo solum nunc est lo- cutio, satis est mihi ministranti, si illum attri- tum dumtaxat esse præsumam?

c Suá. 3. p. 5. Respondeo, hunc nodum solvit Suarez, e 10. 4. d. 42. ego indicavi, dum eodem numero primo dixi, de Ext. (vel bona fide putans se esse in gratia.) Cù enim Vnct. sed. dictus Suarez sibi, sic objecisset. Fidelis non potest licet accipere hoc Sacramentum cum sola at- tritione cognitæ: ergo, nec Minister potest licet dare; Cum, inquam, si objecisset, ita responderet. Utique potest, quia, si conferat, Sacramentum non carebit effectu suo. Diximus enim supra, Sacra- mentum hoc facere de attrito contritum, quoties suscipiens non peccat de novo in ejus susceptione. Sed ille recipiens de quo loquimur, non peccat de novo, nam ratione talis status, in quo est à sensi- bus destitutus, est incapax novi peccati, & alias supponitur attritus, quo pacto abstinet obicem gratia, ergo sit contritus viritate hujus Sacra- menti, recipitque gratiam, & consequenter Minister illi hoc Sacramentum conferre dignè poterit. Hec Suarez.

§. V.

Infirmus.

1. Eiusmodi sunt omnes ii, qui ex vulnere (quidquid aliqui dicant, qui volunt, ut præter vulnus, morbus aliquis accedit) qui ex morbo Viperæ, vel rabidae Canis (ergo etiā, qui ex veneno quocumque) qui ex lenio, qui ex humorum inordinatione, qui ex naturæ debilitate, ut etiam mulieres, qui ex prægnatione, vel puerperio; Omnes, inquam, hi, si in mortis probabili periculo esse, juxta prudentis, & quidem benignum judicium, iudican- tur, possunt Extremam- Unctionem suscipe- re, etiam si in lecto non jaceant.

2. At vero, Qui mortis supplicio sunt af- ficiendi, qui periculosam navigationem ag- gressuri, qui ad prælium quantumvis atrox præparantur, nec licet, nec validè eamdem Unctionem suscipient, quia, ut sic non sunt infirmi.

Immo Suarez sustinet, non solum illici- f Sum. b tam, sed invalidam esse collationem hujus ad. 4. Sacramenti factam infirmo, qui prudenti ju- fed. 12. dicio non periclitatur, quod certè probable est: quia hoc Sacramentum institutum est pro fine vitæ. Sed est etiam probabile, esse validam, & licitam, ut sustinet Coninck g quia Tri- g Causa dentinum h dicit, hoc Sacramentum confe- l. suprad rendum esse Infirmis, præsertim periculosè b Tridu- decumbentibus. Notandum enim est illud sed. 14. (presertim) quod iudicat posse, quoad valo- cap. 3. rem, etiam aliis infirmis.

3. Quid, si sit dubium, an infirmus sit in dicto periculo? Resp. etiam in prædicta sen- tentia Suarri, ministretur, (ait Capeavilla i) i Cap- huic Extrema Unctio. Sed expectetur (in villa de quia Castropalausk.) donec constet de peri- mun- cculo. Utraque sententia est probabilis, sed Vnct. prior magis est animæ favens, adeoque li- q. 11. bentiū excipienda.

4. Et quidem adverte, etiam in prædicta de Ext. Suarri sententia, (quam certè esse in praxi se- Vnct. quendam, & non illam Coninck, ipse usus Fi- unc. p. delium communis ostendit) periculum esse nu- 13. expectandum, non vero vitæ desperationem. Nam concors est Theologorum vox, Extremam- Unctionem esse conferendam, quando sensus, & mens recipientis vigent, ut animi- rum reverenter, & cum maiore dispositione recipi-

recipiat. In quo tamen rigorosè loquitur Cathechismus. a Gravissime, inquit, si peccant, ch. Rom. qui illud tempus agroti ungendi, observare s. p. 2. de lent, cum jam, omni salutis spe amissa, vita, & uaff. c. 6. sensibus carere incipiat.

5. Ejusmodi dictum lenit Quintanaduen-  
b. quātā. nas b dicens, ad mortalem culpam incurren-  
de Extr. dam, requiri, ut tanta dilatio, dedita opera, &  
Yn. fin. 8. ex negligentiā fiat.

6. Adhuc mitius Suarez e Ministrī (ait) cu-  
c. Suar. i.e. rare debent, ut hoc Sacramētū deserit Fidelibus,  
d. 42. s. eff. dum sunt sui compotes. An verò hoc ita sit neces-  
1. nū. 7. sarium, ut cadat sub preceptū. Anchores nihil  
dicunt, neque ego facile hanc obligationem impo-  
nam, sicut sub gravi culpa. Hactenus Suarez,  
leget tamen exceptionem mox num. 8. ponen-  
dam.

7. Hæc quoad Ministros: Sed quid de ipso  
infirmito, obligaturne sub mortali ad hoc Sa-  
cramētū fulcipendum.

Respondeo, communem esse opinionem  
solum obligari sub veniali, quia hoc non est  
Sacramētū necessarium: Excipe. Primo,

Coninck Coninck, d & Laymam, e quando requis-  
d. 19. dub. tus ex nulla causa nollet, unde astantes (ait  
10. n. 30. Laym. tr.) conciperent, illum esse hæticum,  
vel ob hominis autoritatem, ad vilipendien-  
8. de Extr. dum hoc Sacramētū, moveri possent. De-  
Vn. cap. 7. nique Hurradus fnotat, rārum esse, quod se-  
nu. 2. quatur ejusmodi grave scandalum ex mera o-  
f G. Hurt. missione.

8. Excipe Secundō, quando aliud Sacra-  
mentū infirmus non suscepit, nec contritionem  
elicit, nam tunc videtur ex obligatione Charitatis ad se ipsum, teneri ad suscep-  
tiōnēm Extremam-Uncionem, ut si forte  
sit in peccato sibi non cognito, gratiam cum  
attritione acquirat, justusque decedat.

9. Atque id, quod in hac secunda excep-  
tionē dictum est, debere etiam servari à Mi-  
nistris, & assidentibus circa infirmum, operæ  
precium est, adverte.

10. Denique Prelati, & Parochi, sub qua-  
nam obligatione tenentur ad hoc Sacra-  
mentū suis, oīibus administrandum, dicam cap.  
4. nū. 5.

## §. VI.

Quando reiterari potest Extrema-  
Uncio.

1. Quamvis Extrema-Uncio Charac-  
terem non imprimat, ut supponit Tri-  
dētinum g ex Eugenii Quartī definitione, ni-  
h̄lominus, codem periculo mortis perseverā  
g Trid. s. eff. 7. c. 9. de  
te, iterari, nec licet, nec validè potest, quia se-  
mel habita, sufficit pro eodem periculo, ut ex  
Sacr. in Gen.

superveniat periculum, licet infirmitas non  
cessaverit, validè poterit, & licet, quia tunc  
censemur alia nova infirmitas, atque adeò no-  
vo remedio, novoque indigens auxilio.

2. Hæc lunt certa, & omnibus obvia. Ve-  
rū gravis difficultas apud Doctores agita-  
tur, quonam modo hoc novum periculum  
cognosci possit? Quod tamen ex sequenti-  
bus corundem Doctorum explicationibus  
habebis, spero, manifeste.

3. Hurradus h sic loquitur. Ut verò novum h G. Hurt.  
adgit periculum, non requiritur majus temporis de Extr.  
intervalum, quam, quod requiritur, ut infirmus Vn. diff.  
dicatur prius periculum evasisse, seu fuisse extra 10. fine.  
illud.

4. Bonacina i sic. Si status, inquit, Infirmit. i Bonac. d.  
tatis mutetur, potest iterari Extrema-Uncio Ita - 8. de Extr.  
que, si existens in periculo mortis infirmus percepit un. q. unic.  
Extre. etiam Uunctionem, deinde per aliquot dies p. 6. nū. 4.  
evasit mortis periculum; ut si, per mensē, con-  
valuit à periculo mortis, potest iterum recipere  
hoc Sacramētū, si iterum incidat in grave  
eiusdem mortis periculum.

5. Suarez k cum dixisset, frivolum esse, ad k Suar.  
iterandam Extremam-Uncionem, unius T. 4. in 3.  
anni interruptionē postulare, vel unius men- p. d. 40.  
sis; sic addit. Ideo hac regula non est admodum s. c. 4. n. 7  
certa, idèque prudenti arbitrio hoc relinquendū  
est, ut nimis, considerata diuturnitate agitu-  
dinis, & statum eius, & interruptionis eorum  
inter se practica, & communi existimatione, illa  
conceantur diversa pericula, & status ita diversi,  
& perinde se habeant, ac si essent morbi omnino  
distincti.

6. Coninck l ita docet, Intervalum inter l Conin. d.  
periculū transactū, & periculum novum in ea- 19. de Extr.  
dem infirmitate, debet esse notabile, id est tantum, tr. Vn. d. 8.  
ut utrumq. periculum, non solum secundū appa- n. 2. 6.  
rentiam, & effectus, sed in re ipsa posit dici di-  
stinctum.

*finatum, ita ut ager, medio tempore, prudenti iudicio, possit dici fuisse, extra periculum mortis, quod ad illum morbum attinet.*

7. Denique Rituale Romanum his verbis breviter, & diserte propositam rem, sic expediret. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut, cum infirmus convulerit, iterum in periculum mortis incidat.

## C A P U T III.

## De Ministerio hujus Sacramenti.

## §. I.

Minister est Sacerdos.

**P**ro valore, est quilibet simplex Sacerdos, licet excommunicatus, vel degradatus. Pro lito autem usu, debet esse Sacerdos non excommunicatus, nec alia innovatus Censura, & Jurisdictionem habens in infirmum, qualis est Praelatus pro suis ovi- bus, ut item est Parochus pro suis, vel alius Sacerdos ex alterius commissione tacita, vel expressa. Quare in necessitate quilibet Sacerdos nulla Censura ligatus licet conferat, quia potest præsumere licentiam Parochi, vel Praelati, cum in his actionibus, quæ, non ut validè, sed, ut licet fiant, dependent a Superiori, non requiratur, nisi probabilis ejusdem consensus: jure, ut ait Castropalaus, *a sic disponente,*

*a Castrop.  
de Exir.  
Vnde p. 7.  
num. 4.*

*b In opus.  
de comm.  
c. s. §. 4.  
nu. 8.*

3. Si sane illa licentia Sacerdos alterum ungeret, saltem la pè id faciendo, videtur res gravis, atque adeo culpa mortal is, usurpat enim jurisdictionem alterius. Non ita, si legit, aut iterum; sic enim leve quid est, ut in simili alibi memini, b me declaras.

4. An Sacerdos excommunicatus licet ex necessitate inungat? colligi ex ibidem dictis potest.

## §. II.

Sub qua obligatione:

*c Lege Lay. 5. P*arochus, & Praelati tenentur ex justitia, & obligatione sui officii sub morte. c. 7. n. 3. tali (alii enim Sacerdotes, solum ex Charitatem te) hoc Sacramentum conferre suis ovi bus, p. 3. tra. 4. sive expresse, sive tacite petentibus: quam resol. 170. tacitam petitionem ego interpres adesse,

quoties infirmus graviter decumbit, nec Sa- *Si arn* cerdotem excludit, immò si excludat, debet *4. in 3. 3.* à Parochio persuaderi, &c. Licet enim infi- *4. in 3. 3.* mus, modo supradicto, non obligetur, saltem d' *Cath* regulariter, sub mortali Extremam- *Unctio-* *lo. c. 3.* nem suscipere, qui potest suò juri cedere, non *nn. 5.* tamen ita Parochus, qui, ut Pastor, debet in *e Leand* illo gravi articulo suis ovi bus de spirituali- *Ex. 1. 1.* bus remedis providere. *d. 1. 3. 1.*

Prio tempore pestis videantur Castropala- *Gr. 9. 11.* us, & multi, quos citat Leander, Nobis in de San- *præsentia* satis sit duo notare, Primò. Docent *tom. 4. 1.* non pauci, si peste infecti, sint confessi, un- *4. in 3. 3.* de censentur esse in gratia, posse Extremam *nu. 10.* Unctionem abolute omitti. *f. Dian*

Secundò. Docent Tannerus g alioque, non Vella, h- *tenet* Parochum, quando, adhibitis reme- *mico. 3.* diis, adhuc subest periculum lux vitæ, hoc Del. San- *Sacramentum* porrige, sed addit Suarez loc. *alioq. in* cit. Parochum obligari, adhibere convenien- *Medal* tia remedia, quibus possit sine morali peri- *Thesu* culo, Extremam Unctionem ministrare. *Lege de Em* ipsum, qui hæc remedia enumerat. *Vnd*

## §. III.

Religiosi, an sint hujusmodi Sacramenti  
Ministri.

1. **C**ontra Religiosos conferentes hoc Sa- *Extr. 11.* cramentum fulminatur ipso facto ex- *4. 4. 1.* communicatio Pontifici reservata in Clem. *3. m. 1.* prima de Privilegiis. Intellige autem, quando sine licentia tacita, vel expresa Parochi, vel sine Pontificis privilegio id faciant. Quibus tamen ipsi ex privilegio conferre Extremam Unctionem possint, habes latè apud Quintan. 1. mox citando, ex quo duo feligo dum- taxat.

2. Primò. Si Novitus Sacerdos conferat alicui Extremam- Unctionem sine licentia h. San- *Parochi, peccat quidem modò dicto §. 1. nu. 5. in 3.* Ita Suarez h (quidquid dicat Navarrus) nam *jet. 1.* hec excommunicatio est contra Religiosos i. Nav- *Novitii autem, in odiosis, Religiosorum no-* *in man* mine, non veniunt. *12. 5.*

3. Secundò. In dicta Clementina non est *g. 1.* sermo de Religioso ministrante hoc Sacra- *extrem* mentum, alteri Religioso, qui est exemptus *7. m. 1.* à Jurisdictione Parochi. Ratio est, quia dicta op. *Sal* prohibitionis totus finis est, ne præjudicium *sal* aliquod

CAPUT III. §. I. II. III. ET IV. CAP. IV.

aliquid oriatur Parochis, quod neuciquam fit, si Religiosus Religiosum inungat, in quos nulla Parochus Jurisdictione gaudet.

§. IV.

*De adjutore ministranti hoc Sacra-  
mentum.*

1. **A**djutor, seu respondens Sacerdoti hoc Sacramentum ministranti, indicavi supra, solere esse Clericum, immo sufficere etiam Laicum, & aliquando posse nullum adesse. Inquit nunc præterea, an liceat esse Fœminam?

Respondeo, nequaquam licere: nec scilicet, respondeo ad preces, nec multò magis, terendo lensus infirmi uncti.

Quid si deficiant viri omnes? Adhuc sentio cum Quintan. a. potius Sacerdotem sibi debere respondere, & cundem ipsum abstergere unctiones, quam Fœminam adhibere. Nam ex una parte, ejusmodi adjutorem adesse, non est necessarium in hac functione, & ex alia Fœminæ in Sacris Canonibus semper accentur ab immediatis hinc Ministeriis Sacramentorum.

C A P U T I V.

*Quo tempore ministrati potest  
Extrema-Unctio.*

1. **Q**uacumque hora, quocumque tempore, quocumque die: non enim est, unde coarctatum sit ejusmodi tempus.

*Epis de Extrema-Vnctione.*

*Laus D E O, Beatiss. Virginis, ac B. Aloysii.*

*Tamburinu de Sacramentis.*

Hk

LIBER

2. Solum in tempore Interdicti prohibi-  
turn id invenimus in Sacro Textu. b. b C. Quid  
3. Excipi tamen ab hac prohibitione de- in te, de  
bent, Primò, ii, quibus pro illo tempore con- pañit. &  
cessum est privilegium, (quod an, & quate- remis.  
nus concedatur a Bulla Cruciatæ dicitur in  
Trac. de Interdicto, e ubi etiam dicitur, quo- c Interim  
ad Religiosos. lege Lud. &

8. Excipe Secundò, quando moriturus Cruc. in  
Sacramentum Pœnitentia recipere non po- exped.  
tuic; nam in hoc casu Extrema-Unctio est, Bulla  
medium valde probabilitate necessarium ad Cruc. c. 5.  
animæ infirmi salutem, unde illam non pro- dub. s. n. t.  
hibet Ecclesia, sicut, nec tunc prohibet col-  
lationem Sacramenti Pœnitentia.

Quoniam verò acquiri primam gratiam,  
& peccatum oblitum remitti Fideli Baptiza-  
to per susceptionem aliorum Sacramentorum  
bona fide, & cum attritione factam, est fo-  
lum probabile; d per Pœnitentiam verò; & d Suar. de  
Extremam-Unctionem sit moraliter è cer- extr. Vna. t.  
pietate concedere, ut infirmus, si tempore d. 41. sec.  
interdicti non potuit recipere Sacramentum i. n. 19.  
Pœnitentia, (estō reperit aliquid aliud e Suar. i-  
Sacramentum, etiam Eucharistiam) posse  
Extremam-Unctionem rite suscipere, illaque  
à Sacerdote eam ministrari, ut scilicet  
certius ejus saluti con-  
sulatur.

¶ 80 (30)